

delphinus in Italiā evexisse dicitur, cuius hodieque testimoniū manet. Nam in municipio Tarentinorum hominis effigies in delphino sedentis est.

Otto Jahn.

Ennianum, non Lucretianum.

Primus Paulus Merula inter Ennianorum annalium fragmenla (p. VII) posuit haec verba:

..... quei fulmine claro

Omnia per sonitus arcēs . . . . .

quae, ex Petri Danielis Servio exscripta, a Iosepho Scaligerō sibi transmissa testatur (p. CCXXXII). Ea cum Hochius (de Ennianor. annal. fragm. a P. Merula auctis p. 28) neque apud Serv. in Aen. I, 35, ubi Spangenbergius (p. 30) existare dixerat, neque alibi usquam posset invenire: suspectam quodammodo habuit Merulae fidem. Verum et in Lioni editione vol. I p. 13, in Aen. I, 31 et in Servii Cassellani part. III p. 11 ed. Bergk. leguntur haec: „*Arcebat] prohibebat. Significat autem et continet [Sic Cass. Aliquando sign. et cont. Lion]. Ennius: qui fulmine claro omnia per sonitus arcet.* — Neque a solo Servio proditur secundi versus particula, quae iam pridem in iustum mensuram suppleta fuisse aliunde, nisi humanae imbecillitati in fragmentis colligendis ad indices confluendum esset. In Virgilii enim Buc. VI, 31 (vol. II p. 355 Lion.) haec annotat Probus: *Plane trinam esse mundi originem et Lucretius confitetur dicens: Principio maria ac terras coelumque tuere, Quorum naturam triplicem, tria corpora texta; Et alio loco: Omnia personitus arcet terram mare coelum.* Prior locus reperitur Lucr. V, 93, 94 cum discrepantia aliqua, quam nunc non persequimur. Alterum vero, quem in Cari carmine frustra quaesiveris, caveto ne, sicut alios quosdam versiculos a solis grammaticis subministratos, in lacunam aliquam nostrorum Lucretianorum librorum infarcias.\*.) Nam a Probo quidem eum tanquam Lucretianum non affterri ipsius verba demonstrant (*et Lucretius — et alio loco*), esse autem Ennianum iam apparuit ex Servio. Probi igitur *Alio loco vel ita est emendandum, ut Ennii memoria substitutatur, vel ita interpretandum, ut alium locum aliis scriptoris ex grammalicorum consuetudine significari dicas.* Ennianum vero fragmentum ex coniunctis Servii Probiique testimoniiis plenius iam sic prodit:

\*) Quamquam hoc ut fieret suasit ille, qui de Lucretiana critica satis ἀξογώς nuper scripsit in Schneidewini Philolog. vol. II p. 39.

. . . . . qui fulmine claro  
Omnia per sonitus (personitans?) arceret terram, mare,  
coelum.

*Arcet enim in arces tacito mulasse videtur Merula, quia his verbis lovem appellari voluit, sicut etiam in illo fragmendo, quod huic de quo agimus proxime praeposuit, pro Macrobii (Sall. VI, 1) scriptura versat scripsit versas.*

I. Bernays.

---